

in sua potestate non habeant » § Fœminæ. 10. Instit. *le Adopt.*; tum quia eidem donare prohibitum non est, arg. l. *Sed si ego*. 4. ff. *ad S. C. Vellei*. Ratio ibidem additur; quia tam faciliter non donant, vel certe ordinario defectu administrationis multum donare non possunt. Nec obstat l. *Hæc ratio*. 3. § *de Donat. inter vir. et uxor.* ubi etiam donatio invalida declaratur illis verbis: « Si mater filio, qui in patris potestate esset, donet, nullius momenti erit donatio; quia patri quæritur. » Resp. enim cum communi doctorum in dicta lege ideo præcise matri prohibitum esse donare, ne donando liberis eluderet legem prohibentem donationes inter virum et mulierem; cum tempore illius legis condita, distinctio peculii adventitii introducta nondam esset, sed quidquid, exceptis castrensibus, ad liberos pervenerat, ad patrem de jure pertinebat, § 1. Instit. *Per quas personas cuique adquir.* consequenter etiam donatum a matre liberis, illico ad dominium patris devolveretur; prout ipsa lex apponendo rationem clare indicat: « quia patri quæritur; » sicque mater donando liberis, donare marito, et inde legem de prohibita inter virum et mulierem donatione, pro libitu eludere posset. Jam vero, quia novissima Justiniani imperatoris dispositione cit. § 1. Instit. *Per quas personas*, antiquo jure sublato habemus, quod solummodo donata liberis a patre, ad patrem, reliqua vero aliunde acquisita ad liberos spectent, cessat legis ratio, consequenter et lex ipsa.

28. *Quarto milites, et clerici donare non possunt concubinis.* — IV. Milites donare non possunt focariis, seu concubinis suis, l. II. c. *de Donat. inter vir. et uxor.* ubi etiam ratio additur; quia licet donatio meretrici ab aliis etiam ob rem turpem facta valeat, textu claro, l. *Affectionis*. 5. et l. *Donationes in concubinam*. 31. prin. ff. h. t. « Milites tamen meos (ait Imperator) a focariis suis hac ratione, fictisque adulationibus spoliari nolo. » Et quia clerici ordinarie gaudent privilegio militum; cum ipsi quoque militare dicantur, ac blanditiis fœminarum depauperari valeant; hinc dispositionem. cit. l. II. c. *de Donat. inter vir. et uxor.* etiam ad clericos merito extendit Rota, decis. 46. n. 6. coram Seraph. teste König, h. t. n. 10. citans Cæsar. de Pannimoll., decis. 59. n. 38. et Covarruviam, in c. *Peccatum. de Reg. jur.* in 6. p. 2. § 2. n. 2. qui ultimus tamen de hac re nihil resolvit.

29. *Quinto prohibentur donationes inter virum et mulierem. Remissive.* — V. Prohibetur donatio inter virum et mulierem, de qua amplius lib. IV. tit. XX. *De Donatione inter virum et uxorem.*

30. *Donatio etiam verbalis acceptata obligat, et parit actionem.* — Quæritur. VII. Quis sit effectus donationis? Resp. I. Donationis verbalis, quæ absque actuali traditione rei donatæ fit, effectus est obligatio tradendi rem donatam, si donatio a donatario fuit acceptata. Communis ac certa, textu claro § *Aliæ autem*. 2. Instit. h. t. ibi: « Donationes, etc., etiamsi (res donatæ) non tradantur, habeant plenissimum et perfectum robur, et traditionis necessitas incumbat donatori. » et l. *Si quis argentum*. 35. c. h. t. ubi etiam conceditur donatario actio (quæ conditio ex lege ibidem dicitur) contra donatorem ad tradendam rem verbaliter donatam.

31. *Si quis verbaliter tantum promisit, quod promissum servans, alios creditores non amplius solvere, vel se sustentare posset, tenetur æbita aliis creditoribus, et potest necessaria, sibi ante traditionem rei donatæ, detrahere. Ob moram creditoris non tenetur ad usuras; et ante traditionem pertinent fructus rei donatæ ad ipsum.* — Verum, si actione ad tradendam rem donatam convenitur donator, debet prius debita aliis creditoribus, et potest necessaria propriæ sustentationi deducere, casu quo solvendo totum promissum, alios creditores non amplius solvere, vel se honeste sustentare amplius non potest. l. *Qui ex Donatione*. 12. ff. h. t. ibi: « Qui ex donatione se obligavit, ex rescripto divi Pii, in quantum facere potest, convenitur: sed enim id, quod creditoribus debetur, erit detrahendum. » Concordat, l. *Quid ius*. 33. prin. ff. eod. ibi: « Actione non in solidum, sed in quantum facere potest, convenitur. » Quod si in mora tradendi est, non tenetur fructus ex re donata interea perceptos, donatario restituere. l. *In ædibus*. 9. § 1. ff. h. t. ibi: « Ex rebus donatis fructus perceptus in rationem donationis non computatur. » Idem habetur l. *Cum de modo*. 41. ff. eod. Ratio est, quia ante traditionem donatarius nondum est dominus rei donatæ; cum « traditionibus, non nudis pactis dominia rerum transferantur. » l. *Traditionibus*. 20. c. *De pactis*. Res autem domino suo fructificant. Neque tenetur ob dilatam traditionem usuras solvere, l. *Eum qui*. 22. ff. eod. ibi: « Eum, qui donationis causa pecuniam vel quid aliud promisit, de

mora solutionis pecuniæ usuras non debere, summæ æquitatis est. » Ratio ulterior est, ne donatori sua liberalitas nimis sit damnosa.

## § II.

DE DONATIONIBUS EPISCOPORUM, PRÆLATORUM, AC RECTORUM ECCLESiarUM, CLERICORUM, RELIGIOSORUM: UBI ETIAM DE REVOCATIONE DONATIONIS.

32. *Donationes magnas Ecclesiarum rectores de rebus Ecclesiæ non possunt facere.* — Quæritur I. An, et quid episcopi, alique prælati, ac ecclesiarum rectores donare possint de redditibus, et proventibus, vel aliis bonis ac rebus ecclesiæ, monasterii, etc. Resp. I. Donationes magnas, seu in magna quantitate, episcopi vel ecclesiarum prælati, sive sæculares, sive regulares ex mera liberalitate facere de redditibus, et bonis ecclesiæ non possunt. Communis ac certa, textu claro c. II. h. t. ubi etiam ratio additur, videlicet, quod « cum episcopus, et quilibet prælatus ecclesiasticarum rerum sit procurator (seu administrator) et non dominus, conditionem ecclesiæ meliorare potest, facere vere deteriorem non debet. »

33. *Quod si faciant, revocari possunt ac debent, a quibus?* Resp. II. Donationes præced. n. specificatæ, si ab ecclesiarum prælatis fiunt, revocari possunt ac debent, non tantum per successorem, sed etiam per ipsam prælatum ita donantem. Imo in defectu horum quivis alius clericus agere potest ad restitutionem honorum ecclesiasticorum præfatio modo donatorum. Tota conclusio constat ex iis, quæ diximus supra tit. XIII. *de Rebus eccles. non alien.* a n. 59. ubi similem conclusionem posuimus in casu, quo contra jura fit mala et invalida alienatio rerum ecclesiasticarum; qualis cum etiam sit donatio textu expresso, c. *Nulli*. 5. *de Rebus eccles. alien.* idem de ea dicendum est.

34. *Modicas tamen donationes de bonis Ecclesiæ rite faciunt ibi ubi ita donandi est consuetudo.* — Resp. III. Donationes modicas, seu in parva quantitate etiam mere liberales, præfati prælati valide ac licite facere possunt, ubi est loci consuetudo. Abbas, in c. III. h. t. n. 3; Pirhing, h. t. n. 13; Barbosa, in c. III. h. t. n. 2; Bell. *Disqui. cleric.* § 5. n. 10; Engel, h. t. n. 12. cum communi et certa aliorum, ob textum clarum, c. III. h. t.

ibi: « Data rei quantitas, et illius terræ consuetudo (quæ tamen sacris canonibus non obviet) est diligentius attendenda, et secundum hoc est donum ratum, vel irritum judicandum. Ratio est, quia ubi est consuetudo, non possunt hujusmodi donationes moderatæ absque querela et suspitione avaritiæ omitti; consequenter merito a jure conceduntur. Quænam autem sit parva et modica quantitas, cum in jure definitum non sit, id iudicis, aut viri prudentis arbitrio decidendum relinquitur, prout ex communi doctorum, et declaratione cardinalium a Fagnano, in c. *Nulli*. n. 26. *de Rebus eccles. alien.* allegata supra jam diximus tit. XIII. *de Rebus eccles. alien.* n. 38.

35. *Imo etiam ibi, ubi non est consuetudo.* — Resp. IV. Possunt ecclesiarum prælati modica donare etiam ibi, ubi modica donandi non est consuetudo. Glossa, loc. cit.; Imola, in c. III. h. t. in fin; Pirhing, h. t. n. 14. arg. c. II. h. t. ubi solum prohibentur donationes graves « et magni momenti: » ergo a sensu contrario non graves conceduntur. Accedit ratio, tum quia hoc pertinet ad liberam administrationem, quam de jure habent prælati c. *Cum nobis*. 19. in fin. *de Election.* ibi: « Liberam administrationem ei tam in temporalibus, quam in spiritualibus committentes. » et c. *Is cui*. 42. eod. in 6. ibi: « Plena et libera administratio; tum quia per hujusmodi modicas donationes evitatur avaritiæ suspicio, conservatur bona æstimatio et benevolentia hominum, indeque procuratur etiam Ecclesiæ utilitas. Nec obstat, quod prælati non sint domini, sed tantum administratores; quia etiam sæculares administratores et curatores domini non sunt, et tamen modica donare possunt juxta dicta superius.

36. *Dummodo per plus justo repetitas modicas donationes graviter non lædant Ecclesiam.* — Colliges, quod dum de facto modica donandi videatur introducta et recepta consuetudo, ac etiam absque hac prælatis donare liceat modica, ecclesiarum prælati in modicis donandis scrupulo esse possint. Dummodo non etiam per minutas, plus justo repetitas modicas donationes Ecclesiam graviter lædant, uti bene observat Glossa, in c. II. h. t. §. *Graves*. arg. l. *Si libertus*. 16. § 1. ff. *de Jur. Patron.*

37. *Nulla consuetudine introduci potest, quod prælati de rebus Ecclesiæ donationes magnas faciant.* — Resp. V. Nulla consuetudine

introduci potest, quod episcopi, vel alii praelati bona Ecclesie immobilia, vel modica pretiosa, aut alias in magna quantitate, seu magni momenti suis consanguineis, vel ad aliam causam profanam donare valeant. Abbas, in c. III. h. t. n. 3. cum aliis, arg. cit. c. III. h. t. ubi illa tantum consuetudo donandi de bonis Ecclesie approbatur, « quæ sacris canonibus non obstat; » atqui consuetudo donandi in magna quantitate obstat sacris canonibus; cum sit contra bona Ecclesiarum, ac in grave detrimentum earum: consuetudo autem bono communi adversans, utpote irrationabilis obstat sacris canonibus, ab eisque reprobat; prout amplius diximus lib. I. tit. IV. a numero 34. de Consuetudine.

38. Quia talis consuetudo esset contra jus divinum et naturale. — Accedit, quod hæc consuetudo sit etiam contra jus divinum ac naturale, utpote injustitiam continens ac favens; semper enim injustum est domino rationabiliter invito auferre aliena, et alteri donare, etsi id faciendi consuetudo immemorialis adesset arg. c. fin. h. t. Atqui in casu nostro praelati auferrent aliena domino rationabiliter invito: ergo. Unde sicut juxta unanimem doctorum nulla consuetudine introduci potest, quod quis licite, aut valide furetur; etsi furto ablatum alteri donet; ita etiam nulla consuetudine introduci potest, quod praelati de bonis ecclesiarum in magna quantitate donationes ad causas profanas faciant, utpote aliena domino rationabiliter invito auferentes, adeoque etiam verum furtum, ac injustitiam committentes.

39. Doctrina practica pro praelatis multa donantibus. — Colliges pessime facere, peccatisque gravissimis conscientias suas cum magno æternæ perditionis periculo gravare illos episcopos, et Ecclesiarum praelatos, qui de redditibus, et bonis Ecclesiarum in consanguineos suos, vel alios, graves donationes, seu in magna et notabili quantitate absque legitima a jure approbata causa faciunt, non obstante, quod in multis locis, et etiam, ubi ipsimet degunt, ita donandi sit consuetudo; utpote quæ verissima est corruptela.

40. Donationes remuneratorias etiam magnas facere possunt Ecclesiarum rectores. — Resp. VI. Possunt episcopi, et Ecclesiarum praelati donationes remuneratorias etiam magnas, seu gravis momenti facere ob merita a donariis in Ecclesiam, vel ipsum praelatum collata. Abbas, in c. II. n. 3. h. t. et in c. v.

n. 6. eod.; Layman, lib. III. tr. IV. cap. XII. n. 9; Pirhing, h. t. n. 10; Barbosa, in c. v. h. t. n. 2; Menochius, constit. 191. n. 32; Engel, h. t. n. 12. et communis arg. c. v. h. t. ubi remunerationis causa, ut licita et valida approbatur infeudatio, licet alias infeudatio, sicut donatio sit prohibita, Extravag. Ambitiosa, de reb. Eccles. non alien. inter communes et c. II. de Feudis. Ratio est, quia, ut ex dictis supra n. 3 constat, datio remuneratoria, non est proprie donatio, cum non sit mere liberalis, sed ex titulo gratitudinis debita. Accedit, quod tutores non tam ampla et perpetua administratione gaudentes ac praelati, de bonis pupilli donationes remuneratorias etiam in notabili quantitate facere valeant, l. Cum plures. 12. § 3. et l. seq. ff. de Administrat. tutor. consequenter a minori ad majus etiam ecclesiarum praelati.

41. Dummodo non multum excedant merita et obsequia donatarum. — Debent tamen donationes remuneratoriæ esse proportionate meritis et obsequiis præstitis; secus enim, in quantum donum excedit merita, donatio illicita erit ac invalida. Clarus, § Donatio. n. 3. citans communem; Layman, loc. cit.; Pirhing, h. t. Intellige, notabiliter excedat, modicum enim praelatus etiam sine causa donare potest, dicta juxta n. 35.

42. Tam praelatus donans, quam donatarius probare debent donationes magnas fieri, vel factas esse remunerationis gratia; casu quo dubium emergat. — Porro in casu, quo donationes remuneratorias magnas facit praelatus, non sufficit dicere se remunerationis causa id facere, vel fecisse; sed debet conventui forsitan dubitanti, ac inde juste interroganti, merita specificare ac probare. Clarus, loc. cit. n. 2. cum communissima aliorum. Ratio est, quia alias lex prohibens semper eludi a praelatis posset, dicendo se remunerationis gratia donare, vel donasse. Hinc etiam ipse donatarius merita probare debet, si remunerationis gratia graves donationes eum accepisse dignoscitur, alias donatio revocari potest.

43. Debet insuper praelatus Ecclesie solemnitatem juris adhibere, si bona immobilia, vel mobilia pretiosa remuneratorie donet. — Insuper, si praelatus donationes remuneratorias magnas de bonis immobilibus seu mobilibus pretiosis vult facere, debet necessario etiam adhibere consensum capituli. Ratio est, quia ad ista alienanda non sufficit justa causa, sed duo copulative necessario requiruntur, vide-

licet justa causa, et simul consensus capituli; ita ut uno eorum deficiente actus sit invalidus; prout amplius diximus supra tit. XIII. de Rebus eccles. alien.

44. Potest Ecclesie praelatus cum consensu capituli, donationes magnas etiam immobilium facere, ut donatarium excitet ad beneficiendum, vel avertat a damno majori inferendo Ecclesie. — Resp. VII. Potest praelatus etiam sine præcedentibus meritis donationes non tantum modicas, sed et graves de rebus quoque immobilibus (cum consensu capituli) facere ad hoc, ut donatarium, cujus opera, auxilio, gratia, vel beneficentia Ecclesia indiget; excitet ad beneficiendum, vel succurrendum, vel etiam ut damnum ac detrimentum ab eo injuste inferendum avertat. Suarez, tom. IV. de Relig. lib. II. cap. xxvi. n. 14. Pirhing, h. t. n. 10. Ratio manifesta est, quia ita donando procurat utilitatem, bona ejusdem etiam gravis momenti alienare licet arg. can. Sine exceptione. 52. caus. 12. q. 2. et amplius diximus supra tit. XIII. de Rebus eccles. alien. § 2. n. 19. et 20. Monet tamen recte loc. cit. Pirhing, ut in simili donatione semper habeatur respectus ad utilitatem Ecclesie, et edificationem proximorum, ne scandalum, vel sinistra opinio generetur.

45. Causa pietatis et misericordie donare proportionaliter possunt Ecclesie praelati etiam magnas. — Resp. VIII. Praelati ecclesiastici ex causa pietatis ac misericordie possunt de redditibus et bonis Ecclesie, facultatibus, aliisque circumstantiis in causas pias, et pauperes etiam absque ullo capituli consensu facere. Omnes. Ratio est, quia hæc donationes non tam ex liberalitate, quam obligatione, et quidem gravissima fiunt, uti magnis dicemus, et probabimus, tit. seq. ubi etiam amplius declarabimus, quantum in causas pias, et pauperes præsertim consanguineos erogare valeant.

46. De redditibus ad propriam mensam pro honesta sustentatione deputatis indistincte donare possunt. — Notandum hic specialiter, quod conclusiones huc usque positæ intelligendæ sint de proventibus, redditibus, et bonis ipsarum Ecclesiarum, seu ad eas pertinentibus: quia quod donare indistincte possint de redditibus illis, qui separati ab Ecclesie bonis, ad ipsorum mensam, atque honestam eorum sustentationem (exceptis superfluis) particulariter sunt deputati (prout in aliquibus locis dantur) est extra contrarium: uti pariter patebit ex tit. seq.

47. Religiosi extra monasterium beneficium cum libera administratione habentes, donare possunt, uti cæteri beneficiati sæculares. — Quæritur IX. An, et quid donare possint religiosi privati? Resp. I. Religiosi privati, qui extra monasterium degentes beneficium, ejusdemque de licentia superiorum liberam administrationem habent, possunt, ac tenentur de redditibus beneficii disponere, donationesque de illis facere, ut alii beneficiati sæculares. Pirhing, h. t. n. 16; Molina, disp. 276. a. n. 2. et alii. Ratio est, quia inter religiosos in conclusione positos, et beneficiatos clericos sæculares in ordine ad dispositionem reddituum nulla adesse videtur disparitas; consequenter eadem utriusque potestas, ac obligatio: cum a de similibus idem sit iudicium, c. Translatio, 3. de Constit. c. Inter corporalia. de Translat. episc. et l. Non possunt. ff. de Leg.

48. Habentes vero administrationem in monasterio; vel extra illud, beneficium cum limitata potestate, non nisi juxta præscriptum superioris, statutorum, et consuetudinis donare valent. — Resp. II. Religiosi, qui intra monasterium degentes, aliquam bonorum temporalium administrationem sibi commissam habent: item illi, qui extra monasterium degentes, beneficium quidem sed cum limitata administratione habent, ita ut redditus monasterio consignare debeant (uti plerumque fit in beneficiis monasterio incorporatis) possunt quidem secundum limites, et conditionem administrationis, eleemosynas, et alias donationes modicas facere, sed tamen non nisi dependenter ab ordinatione per superiorem sibi data, de ejusdemque expressa, vel rationabiliter præsumpta licentia, atque juxta ordinis statuta, locique consuetudinem. Divus Thomas 2. 2. q. 32. a. 8; Roderiq., tom. II. qq. regul. q. 47. a. 2; Molina, loc. cit. n. 5; Pirhing, h. t. n. 16; Sanch., lib. VII. Moral. cap. XIX. n. 92. Ratio est, quia hoc ipso, quod ex una parte, ipsa administrationis natura et officium aliqualem saltem donandi potestatem exigat; ex altera vero parte religiosus a superiorum dispositione, ordinisque regulis et statutis dependeat, tenor conclusionis subsistit.

49. Religiosi in monasterio sine beneficio, et administrationis officio viventes, penitus nihil, nec pauperibus quidem, nisi in extrema necessitate donare possunt. — Resp. III. Religiosi cæteri in monasterio sub obedientia superiorum viventes, et nec beneficium, nec ad-

ministrationem aliquam habentes, sine expressa vel tacita superiorum suorum licentia penitus nihil, nec pauperibus quidem donare possunt; nisi pauper existat in extrema necessitate, cui monasterium, vel alii non succurrunt. Divus Thomas, 2. 2. a. 8. ad 1; Layman, loc. cit.; Molina, loc. cit. n. fin.; Sanchez, loc. cit. n. 95; Pirhing, h. t. n. 16. et teste Molina, et alii omnes. arg. c. *Cum ad monasterium*. 6. de *Statu. monach.* et can. *Non dicatis*. 11. cau. 12. q. 1. Ratio est, quia hoc ipso, quod tales religiosi defectu officii nullam administrationem, et ratione paupertatis nullum dominium, sed solum rerum usum habeant, nullam quoque disponendi de rebus monasterii potestatem habent: ut proin toties contra paupertatem peccent quoties absque tacita vel expressa superioris licentia aliquid etiam pauperibus donent; uti bene notant citati doctores et statuitur in bulla Clementis VIII, *Religiosæ congregationis et Urbani VIII.* in bulla *Nuper a congregatione*, quas per extensum referi Hyacinthus Donatus, tract. XV. de *Largitione munerum*: quamvis plures doctores apud eundem velint, præfatas bullas usu non esse receptas. (AD-NOTATIO XXVIII.)

50. *Donatio semel legitime facta revocari amplius non potest.* — Quæritur X. An, quando, per quem, et a quo donatio iterum revocari possit? Resp. I. Regulariter loquendo donatio inter vivos legitime facta et acceptata revocari per donatorem non amplius potest. Communis ac certa. Textus expressus est in l. fin. c. de *Revocand. donat.* ibi: « Generaliter sancimus omnes donationes lege confectas firmas illibatasque manere » adeo quidem, ut nec per rescriptum principis revocari valeant, l. *Si donationem*. 5. c. eod. ibi: « Si rite fecisti; hanc auctoritate rescripti nostri rescindi non oportet. » Ratio est, quia jure suo invitatus nemo privari potest; nequidem auctoritate principis supremi, nisi ob bonum commune, seu utilitatem publicam, cui privata cedere haud dubie debet; uti videmus in præscriptione.

51. *Limitatur in tribus casibus.* — Dicitur autem notanter, « regulariter loquendo; » quia dantur tres causæ principales, ob quas donatio revocari potest: videlicet, I. Ob ingratitude donatarii. II. Ob prolem suspectam. III. Si donatio est inefficax, uti ex sequentibus conclusionibus magis patebit.

52. *Primo, si donatarius erga donantem ingratus est.* — Resp. II. Donatio revocari po-

test ob ingratitude donatarii. Caret controversia, ob clara jura, c. fin. h. t. ibi: « Propter ejus ingratitude, in quem liberalitas est collata, donatoris personæ de rigore juris eam potuit revocare. » et l. I. c. de *Revocand. donat.* ibi: « Si ingratus sit, omnis donatio, mutata patronorum voluntate, revocanda est. » Concordat, l. *His solis*. 7. et l. fin. c. eod. ubi etiam enumerantur ac specificantur casus, in quibus ingratitude præbens facultatem revocandi, committi censetur.

53. *Veluti si ei verbis, vel facto injuriam atrocem inferat.* — Veluti primo: Si donatarius in donatorem « injurias atroces effundat » c. l. fin. et c. fin. ibi: « Si injurias atroces inferre præsumperit. » Quænam autem sit injuria atrox, merito iudicis arbitrio relinquatur; qui eam æstimare debet « ex facto, vel loco; veluti si cui in theatro, vel in foro, vel in conspectu prætoris facta sit: vel ex persona, veluti si magistratus injuriam passus fuerit, vel si senatori ab humili persona injuria facta sit. » § *Atrox*. 9. Instit. de *Injur.* Porro potest fieri injuria vel verbis, v. g. verbis graviter contumeliosis, ac injuriosis eum afficiendo: vel facto (absque tamen manuum iniectione, quia hæc ad secundum n. sequenti specificandum casum pertinet) v. g. si donatorem captivum teneat, Abbas, in c. fin. h. t. arg. c. *Nuper*. 29. de *Sentent. excomm.* Molina, disp. 281. n. vel si adulterium cum uxore, aut stuprum cum filia committeret. Pirhing, h. t. n. 34.

54. *Vel violentas manus per se, vel per alium ei inferat.* — Secundo ingratitude committit, si donatarius manus impias ac violentas inferat, cit. l. fin. et c. fin. h. t. ibi: « Si forte in ipsum impias manus injecerit. » Censetur autem impias manus injicere, vel inferre non tantum, si manibus propriis eum invadat, graviter percutiat, fuste verberet, gladio vulneret, sed etiam, si lapidem in eum projiciat, sclopetum emittat, etc. Molina, loc. cit. et patet per ea, quæ jura tradunt de percussione clerici. Nec refert, sive per se, sive per alium id præstet. Nam « non solum is injuriarum tenetur, qui fecit injuriam, hoc est, qui percussit; verum ille quoque continetur, qui dolo fecit, vel qui curavit, ut cui mala pugno percuteretur, » ubi dicitur, l. *Non solum*. 11. prin. ff. de *Injur.* Debet tamen percussio, seu impia manuum iniectione esse injusta, simulque talis, quæ constituat culpam mortalem: alias

enim hoc ipso non esset impia, vel non graviter injuriosa. Hinc bene inferit Molina, loc. cit. si quis pro patriæ, vel propriæ, vel proximi justa defensione donatori manus injiciat, ingratus dici non possit. Ratio est, quia « vim vi repellere » omnia jura permittunt. Pariter ingratitude reus non erit, si ex ignorantia, vel casu id faciat; quia animus injuriandi deest, quo absente injuria non fit. l. III. § 1. ff. de *Injur.*

55. *Aut grave damnum in rebus fortunæ inferat.* — Tertio, « si donatori grave rerum suarum damnum inferre præsumperit. » c. fin. h. t. vel ut dicitur l. fin. c. de *Revocand. donat.* « Si jacturæ molem ex insidiis suis ingerat, quæ non levem sensum substantiæ donatoris imponat. » Quid autem sit grave damnum, iudicis arbitrio determinari debet. Abbas, in c. fin. h. t. n. 2; Molina, loc. cit. n. 2; Pirhing, h. t. n. 34. Attentis circumstantiis, præsertim facultatibus donatoris, ratione quarum, id, quorum in uno modicum, in alio grave damnum est. Non sufficit autem, si donatarius solum attentet inferre damnum, sed requiritur, ut actu inferat. Ratio est, quia lex concedens revocationem, pœnalis est, cujus verba sumi debent cum effectu, arg. can. *Hæc autem verba*. 17. de *Pœnit.* dist. 1. ibi: « Hæc autem verba cum effectu accipimus. » et l. I. ff. *Quod quisque juris*, ibi: « Quid enim obfuit conatus, cum injuria nullum habuerit effectum. »

56. *Item si eum in vitæ periculum conjiciat, etsi mors non sequatur.* — Quarto, si vitæ periculum aliquo intulerit. l. fin. c. de *Revocand. donat.* et c. fin. h. t. ibi: « Si vitæ periculum inferre præsumperit; » veluti si venenum præparet, sive per se, sive per alium faciat, cit. l. *Non solum*. 11. prin. ff. de *Injur.* etsi mors non sequatur. Abbas, in cit. c. fin. n. 2; Molina, loc. cit. quia jura in hoc puncto ob solam attentionem seu positionem periculi, etiam effectu non subsequuto, revocationem expresse concedunt; et merito, quia morte secuta, revocatio fieri non amplius posset: non a mortuo, uti patet: nec ab hæredibus, utpote quibus revocatio non competit, juxta dicenda n. 62; nec a iudice, eo quod revocatio non nisi ad instantium fiat, uti infra dicemus.

57. *Rursus, si conditiones in donatione appositæ, donatarius non adimpleat.* — Lex fin. c. de *Revocand. donat.* etiam quintum casum addit; « si nempe quasdam conventiones.

sive in scriptis donationi impositas, sive sine scriptis habitas, quas donationis acceptor spondit, minime implere voluerit. » Qui casus c. fin. h. t. non ponitur; quia, uti bene advertit Abbas, loc. cit. in hoc casu non tam propter ingratitude, quam non servatam conditionem revocatio conceditur.

58. *Putant aliqui etiam ob alias (præter recessitas) ingratitude causas revocari posse donationem.* — Controversia est inter doctores an præter allegatas quinque, etiam ob alias æquales, vel majores ingratitude causas revocari possit donatio? Clarus siquidem § *Donatio*. q. 21. n. 2 et 3. citans communem; Abbas, in c. fin. h. t. n. 3; Sylvester, § *Donatio*. q. 13. et multi alii affirmativam tenent, docentque teneri. v. g. donatarium alere donatorem inopia pressum, et si non alat, donatio revocari possit, saltem in casu, quo donatarius donum in magna quantitate accepit, uti loc. cit. notat Abbas; et Clarus addens attendendas esse etiam præsentis facultates, an commode possit. Fundamentum eorum est, tum quia, ubi est eadem ratio, eadem est legis dispositio. arg. l. *Illud*. 32. ff. ad l. *Aquil.*; tam quia donationem accipiens, in magna quantitate, filio comparari potest, ut putat Abbas, loc. cit. filius autem tenetur alere parentem l. *Si quis*. 5. ff. de *lib. agnosc. et alend.* quæ sententia licet æquitati naturali sit multum conformis.

59. *Contraria tamen sententia est probabilior.* — Nihilominus contraria sententia, negativa nempe juri conformior, adeoque in praxi amplectenda est: eamque tenent Molina, disp. 481, n. 8; Engel, h. t. n. 49; Layman, loc. cit. n. 17; Zoesius, in *Comment. jur. can.* h. t. n. 12; König, eod. n. 30. et alii. Probatur ex l. fin. c. de *Revocand. donat.* ubi verbis expressis ita statuitur: « Ex his tantummodo NB. (quinque enumeratis) causis, si fuerint in iudicium dilucidis argumentis cognitionaliter approbatæ, etiam donationes in eos factas everti concedimus: » ergo ad alias causas contra expressum juris textum non est extendenda revocandi licentia.

60. *Lex pœnalis ob paritatem rationis non est extendenda ad casus in jure non expressos. Æquitatis ratio potius debet attendi, quam stricti juris.* — Confirmatur: Lex pœnalis, qualis est concedens facultatem revocandi donationes, non debet, nec potest extendi ad casus in jure non expressos, etiam ob pari-